

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad He-bræ-os. Festinémus ingredi
in il-lam ré-qui-em: ut ne in idípsum quis incidat incredulitátis
e-xém-plum. Vivus est enim sermo Dei, et éfficax, et penetrabílior
omni glád-i-o an-cí-pi-ti: et pertíngens usque ad divisiónem
ánimæ ac spíritus, compágum quoque ac medullárum, et discrétor
cogitatiónum et intenti-ó-num cor-dis. Et non est ulla creatúra
invisíbilis in con-spéc-tu e-jus: ómnia autem nuda et apérta sunt
óculis ejus, ad quem nob-is ser-mo. Habéntes ergo Pontíficem
magnum, qui pe-ne-trá-vit cæ-los, Jesum Fílium Dei: teneámus
con-fes-si-ó-nem. Non enim habémus Pontíficem qui non possit
cómpati infirmi-tá-ti-bus no-stris: tentátum autem per ómnia pro
similitúdine absque pec-cá-to.